Sigismundus primus rex Poloniæ, Stanislao et Janussio ducibus Masoviæ.

141

Illustres domini nobis sincere dilecti. Credimus illustritates vestras non ignorare, nos in conventu Piotrcoviensi novissimo bellum generale adversus Turcos et Tartaros decrevisse, cum quibus nullum fœdus habemus. Quod quidem bellum quia proximo vere, ne nos hostes prævenirent, movere oportebit, prout iam hoc subditis nostris secundis vestium literis denuntiavimus; voluimus eandem motionem illustritatibus vestris declarare, hortamurque illos, ut ad proficiscendum nobiscum, eo numero quo tenentur, se accingant.

Præterea quia illustritates vestræ homagium nobis debitum præstiterunt, ad quod exigendum nos consiliarii et regnicolæ nostri hortantur, curabunt illustritates vestræ ambæ ad eandem bellicam expeditionem venire, et inibi debitum facere, et demum uter voluerit, discedere poterit. Bene valeant illustritates vestræ. 1524.